

erroribus plurimis obnoxii sunt corporum
caelestium motus, sed errores illi attractio-
nis doctrinam apprime confirmant: ut jam
observavimus. Demonstratum quidem est
areas temporibus proportionales esse, ve-
rum in hac demonstratione unius dumtaxat
corporis vim centripetam consideravimus,
neque errores ex mutua aliorum corporum
attractione oriundos astimavimus. Porro
Kepleri legem aliquantulum perturbat mu-
tua planetarum attractio, & praesertim in
Jove & Saturno ob majorem illorum mas-
sam. At aberrationes illae in minoribus du-
ntaxat planetarum distantis conspicuae sunt;
quo magis autem a se invicem recedunt
planetae, eo minores deprehenduntur erro-
res, atque tandem evanescent. Eadem est
ratio cur variationes plurimas experiat
luna ob variam scilicet telluris solisque
positionem, variamque illorum distantiam.
Tandem varia Satellitum Jovialium positio
diversaque distantia aliquam in illorum mo-
tibus mutationem afferre debent. Sed om-
nes illos errores ad calculum revocare
norunt geometrae, quorum quidem diligen-
tiam & peritiam demonstrat calculorum cum
observationibus astronomicis summa consen-
sus. Itaque ex praecedenti objectione nihil
aliud colligi potest, nisi pro varia corpo-
rum massa variaque distantia, diversam quo-
que esse attractionem. Addere jam satis e-
rit probatam quoque manere vim attracti-
vam, etiam si corpora caelestia areas tem-
poribus proportionales non describant; evi-
dens enim est, ex demonstratis de virium
compositione, sine vi aliqua centripeta nul-
lum